

## ÍNDICE

INTRODUCCIÓN .....	9
<i>DE PRECONIS HISPANIE / ALABANÇAS DE ESPAÑA</i> .....	49
TEXTOS DE LAS FUENTES LATINAS .....	435
LÉXICO CASTELLANO.....	479
ÍNDICE DE NOMBRES PROPIOS .....	495
BIBLIOGRAFÍA .....	531

## TEXTOS DE LAS FUENTES LATINAS<sup>1</sup>

1.- ROD. TOL., *rebus Hisp.*, 1, 3, 1-2: Quintus autem filius Iaphet fuit Tubal, a quo Yberes, qui et Hyspani, ut dicunt Ysidorus et Ieronimus, processerunt.

ISID., *orig.*, 9, 2, 29: Thubal, a quo Iberi, qui et Hispani, licet quidam ex eo et Italos suscipentur.

2.- ISID., *orig.*, 9, 2, 114.: Celtiberi ex Gallis Celticis fuerunt, quorum ex nomine appellata est regio Celtiberia. Nam ex flumine Hispaniae Ibero, ubi conserderant, et ex Gallicis, qui Celtici dicebantur, mixto utroque vocabulo Celtiberi nuncupati sunt.

3.- ISID., *chron.* (2), 45- 47: His temporibus Prometheus fuisse scribitur, quem fingunt fabulae de luto formasse homines. Tunc etiam frater ejus Atlans astrologiam reperit motumque caeli et rationem primus consideravit. Tunc fuit et Mercurius, nepus Atlantis, multarum artium peritus et ob hoc post mortem in deos translatus.

4.- VERG., *Aen.*, 7, 661-663: mixta deo mulier, postquam Laurentia vincta// Geryone exstincto Tirynthius attigit arva,// Tyrrhenoque boves in flumine lavit Hiberas.

5.- LVCAN., 1, 10-11: cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis// Ausoniis umbraque erraret Crassus inulta// bella geri placuit nullos habitura triumphos?

6.- LVC. TVD., *chron.*, 1, 34, 6: Hic fertur in Yspaniam uenisse et ciuitatem Florem condidisse.

<sup>1</sup> En el apartado de Bibliografía se especifican los nombres de autores y sus obras. Reproducimos aquí los textos de las respectivas ediciones, por lo que se mantienen las diferencias en cuanto a grafía y puntuación de las mismas.

7.- ISID., *chron.* (1), 90-91: Hujus tempore Hercules, quinquagesimum secundum annum agens ob morbi dolorem sese flammis iniecit. Per idem tempus Alexander Helenam rapuit Troianumque bellum decennale surrexit.

8.- ROD. TOL., *reb. Hisp.*, 1, 7, 1-6: Hyspan autem uir industrius, strenuus et de heroum maioribus, quem Hercules prefecerat genti misere Hesperorum, dissipatam Hispaniam reparauit et opera fortissima prudenter extrusit, quarum aliqua adhuc extant, turres in pharo Gallecie et in Gadibus, quas etiam moderna tempora admirantur.

9.- LVC. TVD., *chron.*, 1, 97, 15: Per diuersas Yspanie partes itinera ob insigne nominis fieri iussit et turrem mirabilem in Faro Gallecie condidit.

10.- *Ecclesiasticus* 10:11 omnis potentatus brevis via; 10:8 regnum a gente in gentem transfertur propter iniustias et iniurias et contumelias et diversos dolos. (Obsérvese la variante *via/vita* entre los dos textos).

11.- *Mach.* I, 8:3 et quanta fecerunt in regione Hispaniae et quod in potestate redegerunt metalla argenti et auri quae illic sunt et possederunt omnem locum consilio suo et patientia.

12.- SOL., 23, 1: Reuersos ad continentem res Hispanienses uocant. Terrarum plaga comparanda optimis, nulli posthabenda frugis et soli copia, siue uinearum prouentus respicere siue arborarios uelis. 2 Omni materia affluit, quae cumque aut pretio ambitiosa est aut usu necessaria. argentum uel aurum requiras, habet; ferrariis numquam defecit; non cedit uitibus, uincit olea. 3 Diuidua est prouinciis tribus, secundo Punico bello nostra facta. Nihil in ea otiosum, nihil sterile: quicquid cuiuscumque modi negat messem, uiget paibilis; etiam quae arida sunt, ab sterilitate rudentum materias nauticis subministrant. Non coquunt ibi sales, sed effodiunt.

13.- ISID., *orig.*, 15, 1, 70: Olyssipona, ab Ulysse est condita, et nuncupata: quo loco, sicut historiographi dicunt, coelum a terra, et maria distinguuntur a terris. Cfr. PLIN., *Natur. Hist.* IV, 113: excurrit deinde in altum vasto cornu promunturium, quod aliqui Artabrum appellavere, alii Magnum, multi Olisiponense ab oppido, terras, maria, caelum discriminans. illo finitur Hispaniae latus et a circuitu eius incipit frons.

14.- SOL., 23, 5: In Lusitania promunturium est quod Artabrum alii, alii Olisiponense dicunt. Hoc caelum terras maria distinguit, terris Hispaniae latus finit; caelum et maria hoc modo diuidit, quod a circuitu eius incipiunt

Oceanus Gallicus et frons septentrionalis, Oceano Atlantico et occasu terminatis. 6 Ibi oppidum Olisipone Vlixi conditum, ibi Tagus flumen. Tagum ob harenas auriferas ceteris praetulerunt. 7 In proximis Olisiponis equae lasciuiunt mira fecunditate; nam aspiratae fauonii uento concipiunt et sitientes uiros aurarum spiritu maritantur.

15.- PAPIAS LOMBARDVS, *Lexicum seu Elementarium doctrinae rudimentum*, Venetiis, 1491, s.v. HISPANIA: ... a septentrione pyreneis montibus clausa, reliquis partibus mari conclusa, omnium frugum generibus foecunda: metallorum quoque copiosa.

16.- ISID., *orig.*, 14, 4, 28 y 14, 4, 29: salubritate coeli aequalis, omnium frugum generibus fecunda, gemmarum, metallorumque copis ditissima; y 14, 4, 29: Interfluunt eam flumina magna, Baetis, Minius, Iberus et Tagus aurum trahens, ut Pactolus.

17.- MART., *epigr.*, 7, 88, 7: Hoc ego maluerim quam si mea carmina cantent//qui Nilum ex ipso protinus ore bibunt;//quam meus Hispano si me Tagus impleat auro.

18.- ISID., *orig.*, 14, 4, 30: Duae sunt autem Hispaniae, Citerior, quae in Septentrionis plaga a Pyrenaeo usque ad Carthaginem porrigitur: Ulterior, quae in Meridiem a Celtiberis usque ad Gaditanum fretum extenditur. Citerior autem et Ulterior dicta, quasi citra et ultra; sed citra, quasi circa terras, et ultra, vel quod ultima, vel quod non sit post hanc ulla, hoc est, alia terra.

19.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 6 (243rb-243va): De liberalitate Alexandri, Sen. II *de ben.* ait quod cuidam petenti denarium dedit urbem. Quo dicente tantum donum non convenire sue fortune respondit Alexander: “non quero quid te accipere, sed quid me dare decet”.

SEN., *benef.*, 2, 16, 1: Vrbem cuidam Alexander donabat, uesanus et qui nihil animo nisi grande conciperet. Cum ille, cui donabatur, se ipse mensus tanti muneris inuidiam refugisset dicens non conuenire fortunae suae: ‘Non quae-ro’ inquit, ‘quid te accipere deceat, sed quid me dare.’ Animosa uox uidetur et regia, cum sit stultissima. Nihil enim per se quemquam decet; refert, qui det, cui, quando, quare, ubi, et cetera, sine quibus facti ratio non constabit.

20.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 6 (243va): De eodem Seneca *epistula* IIII dicit quod respondit cuidam dimidium omnium rerum sibi promittenti: “eo,

inquit, proposito veni in Assiam non ut acciperem id quod dedissetis, sed vt haberetis id quod reliquissem”.

SEN., *epist.*, 53, 10: Alexander cuidam civitati partem agrorum et dimidium rerum omnium promittenti ‘eo’ inquit ‘proposito in Asiam veni, ut non id acciperem quod dedissetis, sed ut id haberetis quod reliquissem’. (Cfr. Bizarri 2014: 132).

21.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 6 (243rb): De liberalitate enim Titi imperatoris legitur in *gestis romanorum* quod statuerat ne accendentem ad se postulandi gratia sine re vel spe habendi dimitteret. Et interrogatus ab amicis cur plura polliceretur quam prestare posset, respondit quod non decet quemquam a sermone principis tristem abscedere. Idem recordatus semel super cenam quod nihil tota die illa dederat gemens dixit: “amici, diem hunc perdidi”.

22.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 6 (243va): E contra est de multis qui etiam cauillationes inueniunt ne petenti aliquid tribuant. Sicut Antigonus de quo vbi s. dicit quod cum cynicus peteret ab eo talentum respondit plus esse quam cynicus petere deberet. Repulsus ille petit denarium. Cui respondit Antigonus: minus esse quam regem dare deceret. Turpissima cauillatio, ait Seneca: inuenit enim quomodo neutrum daret; in denario regem, in talento cynicum respexit, cum posset denarium cynico et talentum rex dare.

SEN., *benef.* 2, 17, 1: Ab Antigono Cynicus petit talentum: respondit plus esse, quam quod Cynicus petere deberet; repulsus petit denarium: respondit minus esse, quam quod regem deceret dare. ‘Turpissima eiusmodi cauillatio est: inuenit, quomodo neutrum daret. In denario regem, in talento Cynicum respexit, cum posset et denarium tamquam Cynico dare et talentum tamquam rex. Vt sit aliquid maius, quam quod Cynicus accipiat, nihil tam exiguum est, quod non honeste regis humanitas tribuat.’

23.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (241va): Consimile narrat Augu. XVIII *de ci. c. XVII* et Tullius *de senec.* de Codro rege Atheniensi. Cum enim instaret bellum inter Athenienses et Peloponenses acceperant in responsis quod illi essent futuri victores quorum dux occideretur. Hoc audiens Codrus in habitu pauperis transiuit ad hostes seque obiecit eis, necem per iurgium prouocando. De quo Virgilius:<sup>2</sup> Et iurgia Codri. Maluit enim mori vt vincerent sui quam vivere suis superatis.

---

<sup>2</sup> Publius Vergilius Maro, Eclogae 5.11:

VAL. MAX., 5, 6, ext.1: Rex Atheniensium Codrus, cum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro igni~~<que>~~ uastaretur, diffidentia humani auxilii ad Apollinis Delphici oraculum confugit perque legatos sciscitatus est quonam modo tam graue illud bellum discuti posset. respondit deus ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset. quod quidem non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis percrebruit, eoque factum est ut ediceretur ne quis Codri corpus uulneraret. id postquam cognouit, depositis insignibus imperii famularem cultum induit ac pabulantum hostium globo se obiecit unumque ex his falce percussum in caedem suam conpulit. cuius interitu ne Athenae occiderent effectum est.

AVG., *civ.*, 18, 19, 12-19: Hoc modo eum praedicant patriam liberasse. Responsum enim acceperant Peloponenses tum demum se superatueros, si eorum regem non occidissent. Fefellit ergo eos habitu pauperis apprendendo, et in suam necem per jurgium provocando.

24.- IOAN. VAL., *brev. virt.*, 1, 4 (241vb): Vnde antiqui consules pauperes erant in rebus priuatis, ait Aug. vbi. s. c. XVIII. di.<sup>3</sup> quod Lucius Valerius in suo consulatu adeo pauper fuit vt defuncto nummis a populo collectis sepultura curaretur.

AVG., *civ.*, 5, 18, 100-103: cum audiat vel legat L. Valerium, qui in suo defunctus est consulatu, usque adeo fuisse pauperem, ut nummis a populo collatis eius sepultura curaretur?

25.- IOAN. VAL., *brev. virt.*, 1, 4 (241vb-242ra): Consimile narrat Vegetius II *de re militari* de Athilio Regulo quod cum prefuisset summis rebus adeo pauper fuit vt coniugem et liberos collocaret in agello, qui colebatur ab uno villico. Neque enim volebant ditiores esse in suis dignitatibus quam ante.

VAL. MAX., 4, 4, 6: Eiusdem nominis et sanguinis Atilius Regulus, primi Punici belli qua gloria, qua clades maxima, cum in Africa insolentissimae Karthaginis opes crebris uictoriis contunderet ac prorogatum sibi ob bene gestas res in proximum annum imperium cognosset, consulibus scripsit uilicium in agello, quem VII iugerum in Pupinia habebat, mortuum esse, occasionemque nanctum mercennarium amoto inde rustico instrumento disces-

---

ME. Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignis  
aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.

incipit: pascentis seruabit Tityrus haedos.

<sup>3</sup> abbreviatura de *ubi supra capitulo XVIII dicens quod*.

sisse, ideoque petere ut sibi successor mitteretur, ne deserto agro non esset unde uxor ac liberi sui alerentur. quae postquam senatus a consulibus accepit, et agrum Atili ilico colendum locari et alimenta coniugi eius ac liberis preeberi resque, quas amiserat, redimi publice iussit. tanti aerario nostro uirtutis Atiliana exemplum, quo omnis aetas Romana gloriabitur, stetit.

FRONTIN., *strat.*, 4, 3, 3: Atilius Regulus, cum summis rebus praefuisset, adeo pauper fuit, ut se coniugem liberosque toleraret agello, qui colebatur per unum vilicum: cuius audita morte scripsit senatu de successore, destitutis rebus obitu servi necessariam esse praesentiam suam.

NOTA: Puede observarse que la cita no es de Vegecio, sino de Frontino y que a su vez procede de Valerio Máximo; el texto de Juan Gil comete algunos errores (*Aulo por Atilio; summus por summis*).

26.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (242ra): Ait ibi Aug. de Quintio quod cum quattuor iugera possideret et ea manibus suis excoleret, ab aratro eductus est vt dictator fieret, maior vtique honore quam consul, victisque hostibus ingentem gloriam consecutus in eadem paupertate permansit.

AVG., *civ.*, 5, 18, 103-108: audiat vel legat Quintium Cincinnatum, cum quattuor iugera possideret, et ea suis manibus coleret, ab aratro esse abducunt, ut dictator fieret, maior utique honore quam consul, victisque hostibus ingentem gloriam consecutum in eadem paupertate mansisse?

NOTA: pueden observarse los errores del texto de Castro: *iuga* por *iugera* y *ditior* por *dictator*.

27.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (242ra): Cum enim rem publicam haberent opulentissimam domibus pauperes erant, ait ibi Aug. dicens quod quidam qui fuerat bis consul ex senatu pulsus est eo quod decem pondera argenti in vasis habere conspectus est.

VAL. MAX., 2, 9, 4: Quid de Fabrici Luscini censura loquar? narravit omnis aetas et deinceps narrabit ab eo Cornelium Rufinum duobus consulatibus et dictatura speciosissime functum, quod X pondo uasa argentea comparasset, perinde ac malo exemplo luxuriosum in ordine senatorio retentum non esse.

GELL., 4, 8, 7-8: Hunc Rufinum postea bis consulatu et dictatura functum censor Fabricius senatu movit ob luxuria notam, quod decem pondo libras argenti facti haberet.

AVG., *civ.*, 5, 18, 112-119: Nam illud quod rempublicam, id est rem populi, rem patriae, rem communem, cum haberent opulentissimam atque ditissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant, ut quidam eorum, qui jam bis consul fuisset, ex illo senatu pauperum hominum pelleretur notatione censoria, quod decem pondo argenti in vasis habere compertus est.

AVG., *epist.*, 102, 2, 6: Ne illud quidem optamus aut agimus, ut patriae tuae divitibus illius Ruffini bis consulis agenti solum decem pondo remaneant; quod tunc laudabiliter severa censura adhuc resecandum tanquam vitium judicavit.

28.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (242ra): Non enim dominari intendebant propter lucra neque hoc fuit apud eos ingenium, prout respondit Curtius consul cum Samnites magnum sibi pondus auri attulissent, quibus ille ait non aurum habere preclarum sibi videri, sed eis qui aurum habent potius dominari.

29.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (242ra): Consimile narrat Vegetius li. IIII *de re militari* quod cum legatus Epirotharum Fabritio consuli grande pondus auri offerret illo non accepto dixit: se male illud habentibus imperare quam illud habere.

VAL. MAX., 4, 4 ,6.: Fabricius, cum Cineas legatus Epirotarum grande pondus auri dono ei daret, non accepto eo dixit malle se habentibus id imperare quam habere.

30.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (242ra): Et ob hoc nolebant prefici in dignitatibus nisi possent reipublice proficere. Ait Vale. li. VI de Scipione Cornelio cui cum Hispania sorte venisset respondit: se nolle ire adiecta causa, quod recta facere nesciret.

VAL. MAX., 6, 3, 3: nam cum ei Hispania prouincia sorte obuenisset, ne illuc iret decreuit adiecta causa, quod recte facere nesciret.

31.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (242rb): Item neque filios prefici patiebantur nisi possent proficere. Vnde narrat Helynandus hystoriographus prout ait Poli. lib. IIII .c. XIII de Helyo Pertinace quod cum ex senatore esset creatus imperator et obsecrante senatu vt filium suum Augustum Cesarem vocaret respondit: “sufficere mihi debet vt ego immeritus regnauerim cum non merearer”. Primatus enim non sanguini debetur sed meritis, et inutiliter regnat qui

rex nascitur nec meretur. ... Alendi enim prius sunt et virtutibus exercendi...

32.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 4 (242ra-va): Sectantes enim avaritiam non proficiebantur reipublice. Ait Val. li. VI dicens quod cum duo consules contendenter in senatu quis eorum in Hispaniam mitteretur, ait Scipio Emilianus omnibus sententiam eius expectantibus: “neuter horum mihi placet, quia alter nihil habet, alteri nihil satis est”. Eque mala licentie imperii magnam inopiam iudicans et avaritiam.

VAL. MAX., 6, 4, 2: Idem, cum Ser. Sulpicius Galba et Aurelius consules in senatu contenderent uter aduersus Viriathum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter patres conscriptos dissensio esset, omnibus quoniam eius sententia inclinaretur expectantibus, ‘neutrū’ inquit ‘mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil est satis’, aequa malam licentis imperii magistrām iudicans inopiam atque avaritiam. quo dicto ut neuter in prouinciam mitteretur obtinuit.

33.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 3, 1 (250vb): Non enim ambiebant dominari propter pecuniam sed propter gloriam et reipublice custodiam. Vnde Val. li. III dicit quod cum Scipio accusaretur de pecunia senatui respondit: “cum totam potestati vestre subiecerim Aphricam, nihil ex ea quod meum esset preter cognomen retuli”. Fuit enim dictus Scipio Aphricanus, quia Aphricam deuicit.

VAL. MAX., 3, 7, 1: nam cum Africam totam potestati uestrae subiecerim, nihil ex ea, quod meum diceretur, praeter cognomen retuli. non me igitur Punicae, non fratrem meum Asiaticae gazae auarum reddiderunt, sed uterque nostrum inuidia magis quam pecunia locupletior est’.

34.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 3, 1 (251rb): Et ponit exempla de consimilibus (consulibus?) qui adeo pauperes moriebantur quod non habebant vnde tradarent filias suas nuptijs. Illustrum tamen virorum inopie a senatu succurrebatur et eorum filias consuevit senatus honorabiliter nuptijs tradere.

35.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 3, 1 (251rb-251va): Vnde in laudem Iulii Cesaris dicitur quod nunquam dixit militibus suis “ite”, sed “venite”, dicens quod labor cum duce participatus videtur militibus minor.<sup>4</sup>

<sup>4</sup> Este *exemplum* de César está erróneamente atribuido a la avaricia por Gil. En su fuente, Juan de Gales, se refiere a la continencia en el afán de ambición y soberbia: “Non enim dominari appetebant ambitiose et arroganter, sed rei-

36.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 3, 1 (252rb): De continentia aliorum philosophorum ait Hieronimus epistula XXXV dicens quod Socrates Thebanus homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit, neque putauit se posse virtutem simul et diuitias possidere.

HIER., *epist.*, 58, 2, 5: Crates ille Thebanus, homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit; nec putavit se simul posse et virtutes et divitias possidere.

37.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 3, 1 (251vb): Ideo Seneca V de *ben.* dicit quod Diogenes multo potentior et locupletior fuit Alexandro omnia possidente. Plus enim erat quod hic nolebat accipere quam quod posset ille dare. Et ipsa die victus est Alexander quia vidit hominem cui nec dare posset aliquid nec eripere.

SEN., *benef.*, 5, 4, 4: Necesse est a Socrate beneficiis vincar, necesse est a Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus incessit calcatis regis opibus. ... Multo potentior, multo locupletior fuit omnia tunc possidente Alexandro; plus enim erat, quod hic nollet accipere, quam quod ille posset dare.

38.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 3, 1 (252ra): Quodam quoque tempore cum in vsu potandi calicem ligneum portaret videns puerum manu concava bibere elicit calicem in terra dicens: “nesciebam quod natura haberet poculum”. Et sic postea semper cum manibus bibit.

HIER., *adv. Iovin.*, 2, 14 (PL 32, 318): Refert Satirus, qui illustrium virorum scribit historias, quod Diogenes palliolo dupli usus sit propter frigus; peram pro cellario habuerit; secumque portarit clavam ob corpusculi fragilitatem... Habitavit autem in portarum vestibulis et porticibus civitatum. Cumque se contorqueret in dolio, volubilem se habere domum iocabatur... Quodam vero tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit puerum manu concava bibere, et elisisse illud fertur ad terram, dicens: Nesciebam quod et natura haberet poculum.

---

publicae proficere, et eam vtiliter gubernare. Et in laboribus suis condescendebant, et in militijs cum suis laborabant. Vnde in laudem Julij Cesaris dicitur quod nunquam dixit militibus suis: “ite”, sed “venite”, dicens quod labor cum duce participatus videtur militibus minor”. Esta especie de “epimicio” final explicita la enseñanza que se quiere transmitir con el *exemplum*.

39.- LVC. TVD., *chron.*, Praef. 2, 102-105: De hiis quidam sapiens eorum mores subtiliter considerans dicit: Hesperus est bellis promptus, uictisque benignus, impaciens, fortis, audax, dans uulnera mortis; peruolat ingenio gaudens in munere dando.

40.- *Cor.* I, 11,14-15: nec ipsa natura docet vos quod vir quidem si comam nutriat ignominia est illi: mulier vero si comam nutriat gloria est illi quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.

41.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, pról. (253va): Consequenter videndum est de fortitudine qualiter viguit in antiquis, non ea que est corporalis, sed que virtuatus (sic: virtualis?) et mentalis. Ait Macrobius l. I fortitudinis est animum supra periculi metum agere, nihil nisi turpia timere, aduersa et prospera fortiter tolerare.

MACR., *somn.* 1, 8, 7: fortitudinis animum supra periculi metum agere nihilque nisi turpia timere, tolerare fortiter uel aduersa uel prospera.

42.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, pról. (253va): Est enim fortitudo rerum magnarum contemptio et laboris cum utilitatis ratione perpessio, ait Tul. II rhetori., li. III, vel ut ait idem rhetori. I li. II: fortitudo est considerata periculorum suspectio.

RHET. Her., 3, 2: Non est ista fortitudo, sed temeritas, propterea quod fortitudo est contemptio laboris et periculi cum ratione utilitatis et compensatione commodorum, temeritas est cum inconsiderata dolorum perpessione.

43.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, 1 (253vb): Est autem magnificentia magnarum et excelsarum rerum cum animi ampla et splendida propositione agitatio et administratio, ait Tuli. vbi s. Et hec magnificentia vel est cordis dedignando subici vilitatibus aut priuari libertatibus, vel est oris profitendo veritatem in sermonibus vel est operis magnifice agendo in effectibus.

CIC., *inv.* 2, 163: Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi ampla quadam et splendida propositione cogitatio atque administratio.

44.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, 1 (253vb): Prima magnificentia erant prediti antiqui et debet esse preditus cor hominis. Est enim proprium hominis habere gloriosum spiritum querentem vbi honestissime vivat, non vbi tutissime, ait Sene. epistola CVI. Ideo debet dedignari vilibus, maxime peccatis. Unde Sene. epistola LXVIII “ad maiora natus sum quam ut sim corporis mei man-

cipium". Et idem alibi: "si scirem deos ignoscituros et homines ignoraturos, peccare deditararer". Item hec magnificentia deditatur priuari debita libertate.

45.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 1, 6 (243vb): Vnde narrat Vegetius li. IIII. vbi s. quod obsidente Hanibale Cassilini tantam inopiam sunt perpessi ut murem centum denarijs venisse proditum sit memorie eiusque venditorem fame periisse, emptor vero vixisse, fidem tamen romanis seruauere.

VAL. MAX., 7, 6, 3: In illa obsidione et fide cum trecenti Praenestini permanerent, euenit ut ex his quidam murem captum ducentis potius denariis uendere quam ipse [potius] lenienda famis gratia consumere mallet. sed, credo, deorum prouidentia [effectum] et uenditori et emptori quem uterque merebatur exitum adtribuit: auaro enim [et] fame consumpto manubiis sordium suarum frui non licuit, aequi animi uir ad salutarem impensam faciendam care quidem, uerum necessarie comparato cibo uixit.

FRONTIN., *strat.*, 4, 5, 20: Casilini obsidente Hannibale tantam inopiam perpessi sunt, ut CC denariis murem venisse proditum memoriae sit eiusque venditorem fame perisse, emptorem autem vixisse: fidem tamen servare Romanis perseveraverunt.<sup>5</sup>

46.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, 2 (254va): Simili modo confidentia, que est pars secunda fortitudinis, viguit apud eos. Est autem confidentia per quam magnis et honestis rebus animus multum in se fidentie collocat, ait Tul. rhetorica II. li. II.

CIC., *inv.* 2, 163: fidentia est, per quam magnis et honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciae certa cum spe conlocavit.

47.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, 2 (254vb): Consimile ait de Platone li. IIII. quod cum audisset Xenocratem discipulum eius multa improperia de se dixisse, criminacionem respuit. Et cum iudex instaret querens causam quare non crederet, adiecit: non esse credibile ut quem tantopere diligenter, inuicem ab eo non diligeretur.

<sup>5</sup> Este *exemplum* nos permite aclarar varias cuestiones: a) la fuente original no es Vegecio, sino Valerio Máximo, de quien la tomaría Frontino; b) es posible que Juan de Gales la haya tomado de ese compendio que menciona Felisa del Barrio y Juan Gil lo toma o del compendio o de Juan de Gales, pues la frase final de la perseverancia de los sitiados no aparece en Valerio, pero sí en Frontino.

VAL. MAX., 4, 1, ext. 2: Quo minus miror quod in Xenocrate discipulo suo tam constanter moderatus fuit. audierat eum de se multa inpie locutum: sine ulla cunctatione criminationem respuit. instabat certo uultu index causam quaerens, cur sibi fides non haberetur: adiecit non esse credibile ut, quem tantopere amaret, ab eo inuicem non diligeretur.<sup>6</sup>

48.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255ra): Sequitur videre qualiter fuerunt prediti patientia, que est tertia pars fortitudinis. Est autem patientia honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum et difficilium voluntaria et diurna perpassio, ait Tul. vbi supra. Loquendo autem vulgariter de patientia d'r (dicitur?) quadrupliciter: vel in sustinentia contumeliarum et improperiorum in verbis vel in perpassione longanimi penarum in corporibus; vel in remissione iniuriarum in mala facientibus; vel in moderatione disciplinarum in correctionibus. Fuerunt enim antiqui prediti patientia primo modo dicta.

CIC., *inv.* 2, 163: patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diurna perpassio.

49.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255rb): Ibidem legitur de Vespasiano, cui cum quidam diceret vulpem citius posse mutare<sup>7</sup> (ξ) quam eius animum vllum posse mutare; eo quod pecunie cupidus esset, nec auaritiam minueret processus etatis, dixisse fertur: “huiusmodi hominibus debemus risum, nobis correctionem, penam criminosis.

50.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255va): De patientia Antigoni ait Sen. III *de ira* quod cum audiret aliquos de se mala estimare et proloqui, cum inter dicentes et se audientem esset sola palla, illam leniter commouit dicens: “discedite hinc, ne rex audiat vos”.

SEN., *ira*, 3, 22, 2: Audierat omnia Antigonus, utpote cum inter dicentes et audientem palla interesset; quam ille leuiter commouit et ‘longius’, inquit, ‘discedite, ne uos rex audiat.’

51.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255va): De patientia philosophorum legitur lib. *de nugis philosophorum* quod Aristipus cuidam maledicenti sibi respondit: “ut tu lingue tue, sic ego aurium mearum dominus sum”. Quasi dicat: “sicut tu potes loqui mala lingua tua, sic ego audire auribus meis”.

<sup>6</sup> Juan Gil atribuye la cita erroneamente a Tulio, pero es Valerio Máximo el que cita Juan de Gales.

<sup>7</sup> Parece que falta el complemento *pilum*, que aparece en *De preconis*.

52.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255va): Ibidem legitur quod Antistenes cuidam dicenti sibi: “mala dixit ille tibi, id est, mala dixit de te”, respondit: “non curo quia auditus debet esse robustior lingua”.<sup>8</sup>

53.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255va): Ibidem legitur quod Tytatius maledicenti sibi respondit: “tu didicisti maledicere, ego didici teste conscientia maledicta contemnere”.

54.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255va): Et ibidem de Diogene quod cum amicus nuntiaret ei dicens: “cuncti te vituperant”, respondit: “oportet sapientiam ab insipientibus feriri et meliorem se indicat lingua mala eum quem carpit.

55.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255va-vb): Ad patientiam hanc habendam studebant philosophi, sicut enim legitur libro V *de nugis philosophorum*: Socratem interrogauit Alchipiades quare Xantipem uxorem suam iurgiosam et que die noctuque mulieribus scatebat molestijs domi non abigeret. Cui philosophus: “cum talem domi perpetior assuesco et exerceor ut ceterorum foris petulantiam et iniuriam facilius feram”.

56.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (255vb): Similiter patientia secundo modo dicta, scilicet, in penarum perpessione.

...prout ait Vale. li. IIII. Ubi similiter ait de patientia Pompei qui digitum cremandum prebuit dum senatus consilia prodere iuberetur. Quam combustionem patienter sustinuit.

VAL. MAX., 3, 3, 2: Pompei etiam probabilis uirtus, qui, dum legationis officio fungitur, a <rege> Gentio interceptus, cum senatus consilia prodere iuberetur, ardenti lucernae admotum digitum cremandum praebuit eaque patientia regi simul et desperationem tormentis quicquam ex se cognoscendi incussit et expetendae populi Romani amicitiae magnam cupiditatem ingenerauit.<sup>9</sup>

57.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (256ra): Et ibidem de Anaxarco, quem cum tyrannus puniri faceret et sibi amputationem linguae comminaretur, “non

<sup>8</sup> El texto de Juan Gil añade una explicación del *exemplum* que no aparece en la fuente *Breviloquium*.

<sup>9</sup> En la edición de Castro hay un error manifiesto al atribuir la cita a Vegecio, pues incluso el manuscrito que le sirve de base (R) escribe *Valerius libro III* (igual que los mss. QCE), lo mismo que la cita del *Breviloquium*.

erit, inquit, hec pars corporis mei tue ditionis”. Et mox linguam dentibus abscindens commasticatam in os tyranni eripuit.<sup>10</sup>

VAL. MAX., 3, 3, ext. 4: Talis patientiae aemulus Anaxarchus, cum a tyranno Cypriorum Nicocreonte torqueretur nec ulla ui inhiberi posset quominus eum amarissimorum maledictorum uerberibus inuicem ipse torqueret, ad ultimum amputationem linguae minitanti ‘non erit’ inquit, ‘effeminate adulescens, haec quoque pars corporis mei tuae dicionis’, protinusque dentibus abscessam et commanducatam linguam in os eius ira patens expuit.

58.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (256ra): Item patientia tertio modo dicta, que est in iniuriarum remissione, erant prediti antiqui. Unde Cicero *de laude Cesaris* ait quod nihil solebat obliuisci nisi iniurias.

CIC., *Lig.*, 35,6: Sed parum est me hoc meminisse, spero etiam te, qui obliuisci nihil soles nisi iniurias, —quam hoc est animi, quam etiam ingeni tui!— te aliquid de huius illo quaestorio officio, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminiscentem, recordari.

59.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (256rb): De tali etiam patientia Philippi regis ait Sen. III *de ira*: ad quem cum venissent legati Athenienses eorum audita legatione benigne ait Philippus: “dicite quid possum quod sit gratum Atheniensibus”. Respondit Damachares vnum de legatis: “te, inquit, suspendere”, scilicet, esset gratum eis. Cumque circumstantes indignati in eum vellent irruere, iussit eum rex incolumen dimitti, dicens ceteris legatis: “nunciate Atheniensibus multo superbiores esse qui ista dicunt quam qui impune audiunt”.

SEN., *ira*, 3, 23, 2-3: Demochares ad illum Parrhesiastes ob nimiam et procam linguam appellatus inter alios Atheniensium legatos uenerat. Audita benigne legatione Philippus ‘dicite’ inquit ‘mihi facere quid possim quod sit Atheniensibus gratum.’ Exceptit Demochares et ‘te’ inquit ‘suspendere.’ Indignatio circumstantium ad tam inhumanum responsum exorta erat; quos Philippus conticiscere iussit et Thersitam illum saluum incolumemque dimittere. ‘At uos’ inquit ‘ceteri legati, nuntiate Atheniensibus multo superbiores esse qui ista dicunt quam qui impune dicta audiunt.’

<sup>10</sup> *eripuit*: es claramente una errata de la edición, en vez de *expuit* (“escupió”), el término que emplean Gil y Valerio Máximo.

60.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (256rb-va): Ibidem legitur de Antigone quod cum greci ab eo obsiderentur in castris, illi fiducia loci fedentes (confidentes: Gil) multa loquebantur in opprobrium eius, sicilicet, quod statura humilis et sic de alijs. “Gaudeo, ait rex, quia aliquid boni spero, si in castris meis silentium habeo”, id est, si mei de me mala non loquuntur.

SEN., *ira*, 3, 22, 4: Idem tam miti animo hostium suorum male dicta quam ciuium tulit. Itaque cum in paruulo quodam castello Graeci obsiderentur et fiducia loci contemnentes hostem multa in deformitatem Antigoni iocarentur et nunc staturam humilem, nunc conlisum nasum deriderent, ‘gaudeo’ inquit ‘et aliquid boni spero, si in castris *Silenum*<sup>11</sup> habeo.’ Cum hos dicaces fame domuisset, captis sic usus est ut eos qui militiae utiles erant in cohortes discriberet, ceteros praeconi subiceret, idque se negauit facturum fuisse, nisi expediret iis dominum habere qui tam malam haberent linguam.

61.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (257ra): Patientia quoque quarto modo dicta, que est in disciplinarum et correctionum moderatione, viguit in antiquis. Ait Valerius lib. IIII quod Architas tarentinus cum animaduertisset rura sua villici negligentia corrupta esse et perdita intuens in illum male meritum, “suscepissem, inquit, a te supplicium nisi tibi essem iratus”. Maluit eum impunitum dimittere quam propter iram iusto grauius punire.

VAL. MAX., 4, 1, ext.1: Tarentinus Archytas...postquam in patriam reuertit ac rura sua reuisere coepit, animaduertit negligentia uilici corrupta et perdita intuensque male meritum ‘sumpissem’ inquit ‘a te supplicium, nisi tibi iratus essem’: maluit enim inpunitum dimittere quam propter iram iusto grauius punire.

62.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,3 (257va): Est autem disciplina aliquando moderanda. Ut enim legitur eodem libro, dicebat Trayannus imperator insanum esse si aliquis habens oculos lipientes malit effodere quam curare... Item dicebat quod corde in musicali instrumento debent proportionari et securius est quod remittantur quam si nimis tendantur et rumpantur. Consimili modo dicebat esse faciendum in disciplina qua debet homo curari, non opprimi nec extirpari. Sed nihilominus insolentes castigandi sunt disciplina, ut habitum est supra.<sup>12</sup>

<sup>11</sup> Silenus escribe el texto de Séneca, aunque el Breviloquium escribe silentium, que parece más lógico.

<sup>12</sup> ut habitum est supra: Gil copia del *Breviloquium* incluso la cita interna, pese a que Castro intenta en su edición (p. 53) justificarla remitiendo a un pasaje anterior.

63.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (257va): Sequitur de quarta parte fortitudinis, scilicet, de perseverantia qua vigebant antiqui. Est autem perseverantia in ratione bene constituta stabilis et perpetua permansio, ait Tullius prima rethorica vbi supra. Hac perseverantia fit homo immobilis<sup>13</sup> ne aduersitatibus frangatur, nec prosperitatibus extollatur; item nec comminationibus terreatur nec promissionibus flectatur.

CIC., *inv.*, 2,164: perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio.

64.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (257va): Unde in laudem Frabricii dixit Pirrus, vt dictum est supra: “ille est Fabritius qui difficilius ab honestate quam sol a cursu suo auerti potest”.

65.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, 4 (257va-b): Vt enim dicitur libro IIII *de nugis philosophorum*, Socrates negat sapientem posse offendи, sed aduersus omnem fortunam in robore virtutis sue manere immobilem.

IOANNES SARESBERIENSIS, *Polycraticus*, V, 17 (PL 199,583): et ut plene Socraticum nosses, calcatis turbinibus fortuitorum, adversus omnem dolorem et miseriam uniformi duravit proposito. Dicebat enim haec semper a philoso- pho aliena, et impotem sui animum, in quem fortunae quidpiam licet.

66.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (257vb): Hoc enim est precipuum, scilicet, erigere animum super minas et improvisa fortuita, ait Seneca *de naturalibus questionibus*.

SEN., *nat.*, 3, praef.: Quid est praecipuum? Erigere animum supra minas et promissa fortunae; nihil dignum putare, quod speres.

67.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (257vb): Vt enim dicit expositor super Boetium *de consolatione*, philosophi posuerunt duo dolia esse in lumine<sup>14</sup> domus Iouis, de quibus intrantes oportet bibere. Domus Iouis est mundus: duo dolia prosperitas et aduersitas, de quibus gustare oportet omnes mundum intrantes, vnde Sen. epi. CVI: Unus est portus huius vite, scilicet, euentura contemnere.

<sup>13</sup> *immobilis*: todos los mss. de Gil escriben *immortalis*, aunque parece más lógica la lectura del *Breviloquium*. El término *immobilis* aparece un poco después en el texto de Gil al hablar de Sócrates y en un contexto similar. Es de señalar también en este párrafo la disposición de los verbos y sus complementos: en *Breviloquium* encontramos C+V (aduersitatibus frangatur) en todos los casos, mientras en Gil tenemos V+C (frangatur adversitatibus) en todos los casos.

<sup>14</sup> *lumine*: es error en vez de *limine* (“umbral”).

SEN., *epist.*, 104, 22: Unus est enim huius vitae fluctuantis et turbidae portus eventura contemnere.

BOETH., *cons.*, 2, 2, 13: Nonne adulescentulus [duo dolia, unum quidem malorum, alterum autem bonorum]<sup>15</sup> in Iovis limine iacere didicisti?

GVILLELMVS DE CONCHIS, *Glosae svper Boetivm*, lib.II, pr.2: NONNE. Probat auctoritate Homeri quod non ignorabat mores illius. Qui volens notare mutabilitatem fortunae describit domum Iovis et dicit in limine illius duo iacere dolia, unum bonum et unum malum, omnesque domum illam intrantes de utroque aliquid haurire; sed quidam plus de bono, quidam plus de malo. Ibi vero Homerus domum Iovis vocavit sublunarem regionem propter aera qui in ea est; duo dolia vero prosperitatem et adversitatem. Sed omnes qui intrant, id est qui vivunt, de utroque hauriunt, sed quidam plus de prosperitate, quidam plus de adversitate. Et Boetius erat de illis qui plus de bono quam de malo hauserant, et ideo iustum querelam non habebat.

68.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (257vb-258ra): Qualiter autem differenter animus sapientis et stulti varie afficiuntur in tribulationibus determinat Augustinus, IX *De ci. c. IIII*, recitans opinionem Zenonis et Crisipi, qui fuerunt principes stoycorum. Qui id interesse censuerunt inter animum sapientis et stulti, quod animus stulti passionibus cedit et accommodat mentis assensum. Sapientis autem animus, licet ipse passiones necessitate patiatur, retinet tamen de his que appetere vel fugere debet veram et stabilem inconcussa mente sententiam. Ubi ponit exemplum de stoyco philosopho qui expauit in naui in tempestate. Cui cum obiectum esset quod timuisset et ita quod falsa esset positio stoycorum ponentium non cadere passiones in sapientem, respondit philosophus dicto modo.

AVG., *civ.*, 9, 4, 30–45: Hoc enim esse uolunt in potestate idque interesse censem inter animum sapientis et stulti, quod stulti animus eisdem passionibus cedit atque accommodat mentis adsensum; sapientis autem, quamuis eas necessitate patiatur, retinet tamen de his, quae appetere uel fugere rationabiliter debet, ueram et stabilem inconcussa mente sententiam.

---

<sup>15</sup> En griego en el texto.

...Nam profecto si nihil penderet eas res ille philosophus, quas amissurum se naufragio sentiebat, sicuti est uita ista salusque corporis: non ita illud periculum perhorresceret, ut palloris etiam testimonio proderetur.

69.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (258ra): Ut enim ait Seneca libro *de prouidentia*: quis est vir qui non est erectus ad honesta, qui non est laboris iusti appetens, qui non ad officia cum periculo paratus? Sequitur: nihil infelicius ait Democritus eo cui nil aduenit vnquam aduersi, non licuit illi se expiare.<sup>16</sup>

SEN., *prov.*, 2, 2: Quis autem, uir modo et erectus ad honesta, non est laboris adpetens iusti et ad officia cum periculo promptus? Cui non industrio otium poena est?

SEN., *prov.*, 3, 3: Inter multa magnifica Demetri nostri et haec uox est, a qua recens sum; sonat adhuc et uibrat in auribus meis: ‘nihil’ inquit ‘mihi uidetur infelicius eo cui nihil umquam euenit aduersi.’ Non licuit enim illi se experiri.

70.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4, 4 (258ra): Vnde ait ibi de Socrate quod potionem illam, scilicet, veneni, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit et de morte disputauit atque ipsam veneni potionem letus bibt hausitque.

SEN., *prov.*, 3, 12: Male tractatum Socratem iudicas quod illam potionem publice mixtam non aliter quam medicamentum inmortalitatis obduxit et de morte disputauit usque ad ipsam?

71.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (258ra): De ipso et eius morte Valerius lib. VII dicit quod forti animo et constanti vultu cum potionem veneni accepisset vxoreque sua inter fletum et lamentationem vociferante eum innocentem peritum, “quid, inquit, nocenti mihi mori satius esse duxisti?”. Quasi dicat: males tu quod nocens morerer quam innocens?

VAL. MAX., 7, 2, 1: Idem, cum Atheniensium scelerata dementia tristem de capite eius sententiam tulisset fortique animo et constanti uultu potionem ueneni e manu carnificis accepisset, admoto iam labris poculo, uxore Xanthippe inter fletum et lamentationem uociferante innocentem eum peri-

<sup>16</sup> *Expiare* debe ser un error de la edición, pues lo correcto es *experiri*, término que aparece en la fuente de Séneca y en el texto de Gil.

turum, ‘quid ergo?’ inquit ‘nocenti mihi mori satius esse duxisti?’ immensam illam sapientiam, quae ne in ipso quidem uitae excessu obliuisci sui potuit!

72.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (258ra-b): Ideo concludit Seneca vbi supra: miserum esse iudico quod nunquam fueris miser. Transisti sine aduersario vitam. Nemo scit quid potueris neque tu quidem ipse. Opus enim est ad sui noticiam experimento. Quid quisque possit non nisi temptando didicit. Illos quippe miseros dicit qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas inhers detinet.

SEN., *prov.*, 4, 3: ‘miserum te iudico, quod numquam fusti miser. Transisti sine aduersario uitam; nemo sciet quid potueris, ne tu quidem ipse.’ Opus est enim ad notitiam sui experimento; quid quisque posset nisi temptando non didicit.

SEN., *prov.*, 4, 6: Illos merito quis dixerit miseros qui nimia felicitate torpescunt, quos uelut in mari lento tranquillitas iners detinet: quidquid illis inciderit, nouum ueniet.

73.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (258rb): Quam fortes ergo et perseverantes in fortitudine et toleranda morte pro veritate et honestate antiqui fuerunt patet ex dictis. Et non solum viri sed etiam mulieres fortes fuerunt ne dedecus aliquod paterentur. Sicut ait Ambrosius, III *de virginitate* de matre et filiabus que se amplexantes et quasi choros ducentes proiecerunt se in alueum fluuij ne a predonibus castitatis dedecus paterentur.<sup>17</sup>

74.- IOAN. VAL., *brev. virt.* 4,4 (258rb-258va): Et sicut dicit Augu. primo de ciui. c. XIX de Lucretia romane pudicitie duce (?) quod cum esset oppressa a filio Tarquinij regis superbissimi induxit suos ad vindictam, deinde fedi in se commissi egra et impatiens ferro quod sub veste tectum detulerat se peremit. Quamvis autem hoc non sit faciendum. Non enim debet se quis interimere ad vitandam libidinem alienam, que non poluit. Si est aliena libido et *proposito animi permanente per quod corpus sanctificari meruit ipsi corpori non aufert sanctitatem violentia libidinis alienae, quam seruat perseverantia continentie*, ait Augustinus vbi supra c. XVII. Tamen detestatio dedecoris, amor honestatis, perseverantia fortitudinis sunt in talibus commendanda.

<sup>17</sup> No ha sido posible localizar la cita de Ambrosio, pues la referencia que da Castro (AMBROSIUS, *De virginitate*, PL 16: 683) no es correcta.